

quod est apud Scaligerum l. 7. de emendatione temporum, ponitur hæc regula. **המה מבר ואת עולם עד מנין שטרור** *Ubi refertur ad annum, a quo initium ducit Mini anstros, seu æra contractuum, quæ cum obfignatione visionis in hoc capite coniungitur.* At quam frigent ista, quam jejuna hæc sunt! Nobis ex fundamentis textus interprete omni exceptione majori Christo Matth. II. v. 13. certissimum est, cohærere obfignationem Prophetarum cum adventu Messia. Postquam fulgentissimo Novi Testamenti jubare umbras V. T. discussisset, ac tot gloriæ suæ lumina Angelico applausu, Magorum stellam indicem sequentium accursu, sapientia in puero plusquam senili, triplici Θεοφάνεια coelitus testante, signorum inauditorum magnitudine, accendisset Sol justitiæ, imo postquam salutis nostræ auctor, cruci affixus τὸ τετέλεσται pronunciaisset, expiravit, quicquid lex antedecædanea contulerat justitiæ, ad ultimum urbis excidium, inter adiaphora habendæ, denique una cum urbe sepeliendæ, ac nisi Christum in carnem venisse negare velis, non amplius e tumulto revocandæ. Orbem insuper suum complevit chorus vaticus Prophetarum Messia prælagus, annales sacri per tempus bene longum obmutuere, tacuere profani. Qui factum? Nulla, in consolationis plenissima de exhibito Salvatore mundi historia, linea est, quæ accedentem non concutiat horrore, legentem miraculo non teneat. Quo argumento Tertullianus utitur adversus Judæos c. 8. *Quid est, inquit, quod dicit Angelus, signari visum, & Prophetiam? quoniam omnes Propheta nunciabant de illis, quod esset venturus, & pati haberet: igitur quoniam adimpleta est prophetia per adventum eius, propterea signari visionem & Prophetiam dicebat. Ipse enim signaculum est omnium Prophetarum, adimplens omnia, quæ retro de eo Propheta nunciaverunt. Post adventum enim Christi & possessionem ipsius, jam non visio, nec Propheta est, qui Christum nunciet venturum.*

SECTIO II.

HActenus analysis textus, nunc, quod inde fluit πόρισμα, & effulget documentum, consecremur.

§. LIIX.